Ant. Fizes D. m. m. et math. Pr. R.

SPECIMEN

MEDICO-CHIRURGICUM

In quo præcipui Suppurationis eventus in partibus mollibus expenduntur.

UT ſuppuratio laudabilis naturæ opitulatricis molimen eſt, fluidorum in ductibus ruptis ſuppreſſorum nec vitæ ampliùs deſtinatorum expurgationem totis viribus patrantis, cæteris per vaſa integra iter expedientis, ſolutam partem ab infarctu ſubſequuto proindè liberantis, vaſcula poſtremò nonnulla ultrà metas promoventis, carnea granula ità promentis, eaque in modum caudarum arundinum, fabrorum more, implicantis inter ſe ac ferruminantis; ità & impotentem illam interdùm aut debilem in opere hoc, vel diverſimodè procedentem, & à

recto tramite deflectentem, vel prorsùs deviam observare contingit, ut in eo nonnunquàm hæreat, succumbat, aut debilitetur plurimùm ac langueat, aut variâ sub fronte se manifestet, aut vitiosè operetur. Quibus fit, ut sæpè suppurationes optatò non succedant, Medicique ac Chirurgi solertiam plurimam exigant.

Suppurationum itaque varietates, fata, eventus expendere, deque eorum causis disserere constituimus, haud sanè parvi faciendum thema suscepturi; quò develatis nimirùm in suppuratorio opere penitiùs naturæ arcanis, hinc rectâ ratione deinceps ducti, firmumque judicium circà partes suppurantes laturi, ei cùm opprimetur, fatiscet, aberrarit, auxilium debitum ferre valeamus.

P R O P O S I T I O I.

Disruptis in parte molli sanguiferis, aliisque intertextis vasculis; cur interdùm suppuratio nullatenùs, aut vix ac difficilè excitetur, incepta nonnunquàm cohibeatur, aut languidè procedat, expendere.

PLura ſunt, ex quibus natura ad ſuppurationis opus quaſi impotens fit, eove incepto fatiſcit, ſæpèque opprimitur, præcipua hæc perpendere libet.

1°. Ut excitetur ſuppuratio, vaſcula ſolutæ partis ulteriùs ſolito fluidis tumeſcere, tùm impenſiùs ſana tendi, vehementiùſque vibrari requiritur (illud ipſâmet indicante naturâ, quæ nullam niſi inflammatione prægreſſâ ſuppurationẽ umquàm ciet) quamobrem ſi hæc ſatis non turgeant, liquoreſque ſat expeditè fluant, cauſa ſuppurationis efficiens, vaſculorum nempè integrorum ingeminata pulſio non excitabitur, aut debilis ſaltem erit, materia autem ad ſuppurationem ſufficiens in ductibus ruptis non aut vix ſuppetet, hinc nulla tunc aut levis ſaltem ſuppuratio. Hâc de cauſa plerùmque non ſuppurant Suggillatæ partes, Exanthemata, Vibices, ſic nullatenùs aut vix ſuppurant Cæſa, quæ liberaliter cruorem profuderint, ſic impeditur notabiliter in vulneribus ſuppurationis opus, cùm in oris ac partibus vicinis reſolventium medicaminum applicatione ſanguis ad facilem nimis per vaſcula fluxum compellitur.

2°. Suppuratorium opus protractas vi-

tales vaſorum motiones & adauctas & validas, ut ex inflammatione non modò antecedente illud, ſed & aliquali ſemper concomitante oſtenditur, continuò exigit. Cùm autem ſanguinei ductus cæteris vehementiùs pulſent, tùm inſuper activiori fluido & abundantiori turgeant, quod legitimi puris materies potiſſima eſt; patet partes vaſculis ſanguineis parùm animatas ac velut exangues ſuppuraturas ſegniùs, hinc fit ut ligamenta, tendines, membranæ adipoſæ, membranæ tenues ac tenſæ, ut perioſtæa, perichondria, quæque muſculos immediatè veſtiunt, ac ſimiles haud ità facilè, ut carneæ partes, ad ſuppurationem vegetam ducantur; uti neque glanduloſa corpora lymphatico liquore ubertim, cruore verò parcè irrorata, ut ſunt glandulæ, quas Lymphaticas vocant, ut ſunt ſalivales, ſubſtantia pancreatis, ac partes ſimiles.

3°. Si copia ſummâ ſoluta, diſrupta, contrita, lacerata ve fuerint vaſcula, pauca, quæ integra remanſerint, vitæ parti impertiendæ (ſine quâ nullam expectes ſuppurationem) ſuffectura non fore deducitur. Quippe quòd pulſiones eorum adeò diſperſæ tantæ moli ruptorum duc-

tuum inertium humoribuſque torpidis gravatorum ſuſtinendæ impares fiant; ut hinc potiùs vaſa integra opprimi contingat, quàm ea activi quicquam in diſrupta liquoreſque effœtos moliri poſſint. Quamobrem nulla aut languida ſaltem ſuppuratio, quin frequentiùs partis in tali caſu mortificatio ſuccedet. Eas ob rationes partes contuſas ultrà modum attritaſque ſuppurare vix obſervabis, hæ autem ſæpiùs gangræna corripiuntur. Sic & in tormentorum bellicorum vulneribus hæc ſæpè metuenda eſt. Sic & partes ipſæmet corroſæ penitùs aut gelu exuſtæ, igneve torrefactæ non ſuppurant; vi enim corroſivi aut igniti, aut etiam impenſè frigidi corporis in acervum vaſculorum ruptorum, undique lacerorum, & confusè cum effuſis liquoribus permixtorum immutatæ ſunt; hæc autem inconcinna moles extincta penitùs viventi inhærens areſcit deinceps, & cruſtoſum quid exhibet, hanc *Eſcharam* (quaſi *focum* diceres) nominarunt Græci. Cùm autem ſubter Eſcharam vaſa partim lacerata, integra partim exiſtant, ſubjectaque pars vitâ potiatur, hæc eſt, quæ in tali caſu, ſuppurare ſolet.

4°. Jam verò quamquàm in solutâ parte disrupta vascula exuperanti non adsint copiâ (quod & in reliquis perpendendis casibus supponemus) si tamen seu abundantibus fluidis, seu rarefactis plurimùm ultrà modum turgeant, quæ integra remanserunt, ea obruenda fore consequetur, nec enim tunicæ eorum adeò dilatatæ restitui poterunt, hinc cessatio alternati earum motûs, cursus liquorum interruptus, vasorum tandem laceratio intima ac repentina, cum ustionis sensu exin orto, principii vitalis suffocatio, tunc ergò non suppuratio, quin potiùs mortificatio superveniet. Ità cum inflammata sunt prætermodùm vulnera, ità cùm partes plurimùm incensæ sunt, ut in erysipelate summo, in carbunculis quibusdam, acceditque acer in his casibus ustionis sensus, lacerationis intimæ signum, non expectanda tunc suppuratio, timenda potiùs gangræna. Sic topica calidiora, ut vesicantia, acria, spirituosa, ac similia suppuraturas partes, orasve vulnerum ultrà modum nonnunquàm incendendo suppurationem in eis præpediunt, aut, cùm inceperit, cohibent, succedentique postmodùm mortificationi haud ra-

rò occaſionem præbent.

5°. Vix vibrantur inanita vaſcula, deſidia ſunt, liquores ruptis vix ſuppeditant, hinc imbecilla cauſa, parca materies ſuppurationis, ſic ex hæmorragia largâ vaſis inanitis, vulnus aut nullatenùs aut ſaltem tardè ac languidè deinceps ſuppurat; ſic dùm ſauciatis debiles ſunt vires, cùm frequentes ſuperveniunt lypothimiæ, uno verbo quoties ſanguinem ſauciæ parti cor languidè ſubminiſtrat, toties ſegnis aut nulla fit ſuppuratio, quin ſiſtitur ſæpè, quæ inceperit, ulcuſque areſcit, palleſcit pars aut livida fit, interdùm ſideratur. Ea de cauſa in caſibus morborum malignorum, venenatorum, peſtilentiæ imprimis eventum hujuſmodi obſervare contingit, cùm frequenter parotides, carbunculi, bubones, puſtulæ ad ſuppurationem debitam adduci arte nullâ poſſunt, gangrænam autem ac ſphacelum invitis auxiliis miſerè concipiunt.

6°. Flaccida vaſcula, reſoluta, aut molliora, cùm ingurgitata fuerint, ſuccumbunt facilè, nec enim ad pellenda fluida utut parùm exuperanter ſuſcepta vi pollent ſufficienti, languet ergò tunc vi-

tale principium in solutâ parte, unde vel mortificatio aut effœta suppuratio. Ità se res habet quandòque in teneris quibusdam constitutionibus, frequentiùs autem in hydropicis, scorbuticis, istiusvè modi cachecticis. Hinc partem œdemate affectam secare, multò magis contundere periculosum est, quippè quòd immineat inde gangræna, aut saltem *ulcus sanatu difficile*, ut monet Hippocrates Aph. 8. sect. 6. purulentâ sorde nimirùm expurgare debitè se impotens supervenire soleat. Hinc & quoque difficiles in partibus paralyticis ac languidæ suppurationes, hinc summum iis sauciatis, attritis præcipuè gangrænæ periculum.

7°. Vascula integra, si plurimùm exsiccata fuerint, eâ donabuntur rigiditate, quâ irruentibus fluidis obsequiosa non erunt; quare vix micabunt, nec ad materiem in vasculis ruptis comprimendam, succutiendam, subigendam, & in purulentum liquamen vertendam sufficient, undè impedita suppuratio, parùmque vegeta. Hâc de causa partes labore quotidiano attritæ ægrè suppurant; pariter in senibus suppurationes floridæ non sunt, ità prægresso topicorum calefacientium

usu nimio præpeditur interdùm, aut difficulter succedit deinceps suppuratio. Sed & in partibus his exsiccatis & induratis liquores sero ac rore mucilaginoso tenui ità destituti sunt, ut purulento liquamini fluxili efformando materia sufficiens haud suppetat.

8°. Vascula integra solutæ partis ex intimâ vi nimiùm tensa liquoribus accedentibus dilatari se vix patiuntur, undè citatæ quidem & correptæ non verò amplæ eorum pulsiones, hinc materiei in vasculis ruptis subigendæ compressio debilis, debilis succussio; præthereà ob tunicarum contentionem angustatâ vasorum capacitate liquores quantitate parvâ transmeant, nec nisi exigua fluidorum suppurandorum moles ruptis vasis sufficitur. In memorato igitur vasorum solutæ partis statu suppuratio succedet parca, multùmque impedietur. Hisce de causis sauciatæ partes dolentes acriter & quasi spasmo in textu intimo correptæ, pure ubere non manant, orasque siccas frequenter exhibent. Casus hic obtingit sæpè sauciatis partibus plurimùm nerveis, sensuque præditis exquisito, item cùm perseverat diutiùs in partibus solutis causti-

carum acriumve particularum admotorum medicaminum energia, ut & cùm massa sanguinea inest nimis acris partibusque serosis ac subviscidis destituta, quæ insuper liquamen mucagineum ad efformandum pus vix suppeditare potest: quas etiam ob causas vulnera erysipelate superficiario ferventia, halitusque acres exhalantia, ad suppurationem vix perduci possunt, siccaque obstinatè nimis remanent; quin etiam ex adauctâ ulteriùs tensione vasculorum intestinâ, tanta eorum subsequitur laceratio, ut gangræna suscitetur, prout in carbunculis erysipelate deurente comitatis observare est.

9°. Si validiùs compressa fuerint vascula solutæ partis, inhibebitur liquorum versùs cor reditus, hæc ergò infarcientur ultrà modum; vel si arctiùs adhuc inducta fuerit compressio, ea liquores sufficienter non suscipient, iique progredientur lento gradu; in utroque igitur casu languebunt vasorum pulsiones, liquores lentescent, undè vel nullatenùs vel languidè admodùm procedet suppuratio, quin & periculum, ne extinguatur pars, proximum aderit; id autem in casu priori declarabitur calore intenso partem

urente, in posteriori frigore mortifero partem occupante (Confer art. 4. & 5.) Hujusmodi planè negotium succedere solet, cùm sauciæ partes fractis aut luxatis ossibus molestantur, ut & cùm fasciis, spleniis, laqueis, ferulis, aliove apparatu deligantur arctiùs, sicuti & sæpissimè cùm turundis, aut linteis carptis quibuslibet, sinus ac partium suppurantium alveoli ultrà modum vique immani, ut aliquibus Chirurgis solemne est, opplentur, dilatantur, divelluntur.

10°. Si inspissentur fluida in solutâ parte, ac torpeant, motus vasorum vitalis languebit aut extinguetur, liquamen verò in vasculis ruptis elaborandum crassius factum sanorum pulsantium pressuris nimis obsistet, easque evanidas efficiet, hinc vel languida, aut caduca demùm suppuratio. Eâ ratione frigidus aër partibus suppurantibus molestus adeò & adversus. Eâ ratione admota intempestive Repellentia, quæ dicuntur, medicamina suppurationem sistunt; ità & venena quædam vulneribus affusa suppurationem prohibent, aut si inceperit, cohibent. Hæque similesve causæ, si valdè noxiæ, in his interdùm gangrænam procurant,

interdùm indurationem; & quidem gangrænam si subitò humorum fluentium in vasis suppresserint; indurationem verò, si paulatim egerint, eoque tempore liquorum major pars aliò deviarit.

11°. Si sanguis solutas partes alluens serò ac mucilagine tenui (hanc *Balsamum* vocant) depauperatus sit, vix aliquam vasculis ruptis materiem suppurationi idoneam, eamque insuper tardè ob crassitiem suppeditabit. Aut si serò licet absolutè non egenus, mucilagine hâc molli ac extensili tamen destitutus particulas duras, crassas & acres sui juris factas, sinu suo ubertim vehat, tunc vasculorum fibræ mucilagine sufficienti haud emollitæ tensæ ac rigidæ necessariò fient, tùm etiam quandòque particulis acribus vellicatæ in contentionem inassuetam cum accedente fervore suscitabuntur, & orientur casus, art. 7. & 8. In hujusmodi ergò cruoris discrasiis tardæ ac parcæ producuntur suppurationes. Hinc fit ut qui temeto, speciebus aromaticis, iisve affinibus indulsere nimis, cùm fuerint vulnerati suppurationes patiantur tardigradas & parcas; hinc Hecticorum vulnera humentia parùm deprehendes.

12°. Si mucilagine tenui æquabiliter dispersâ, partibusque spirituosis plurimùm orbatus sit sanguis, utcumque reliquæ se habeant, partium solidarum textus vix elatere donabitur aliquo, sanguis autem vascula alluet non æquabiliter, ut decet, subviscidus, nec particulas diversas, quibus constat, intimè ac uniformiter dispersas commixtasque sinu suo gerens, adeò ut hîc crassæ aderunt viscidæ nimiùm ac tenaces exsolutionem sui haud patientes, serosæ illîc solutæ à reliquis, plurimùm fluxiles, hîc duræ nimiæ molis muriaticæ nimirùm ac lixiviales, neutræ mucilagine tenui ceu vitali balsamo debitè temperatæ; verbo particularum nexus, qui vitalem formam tribuit sanguini, fermè solutus erit, proximaque in eo ad cadaveris statum dispositio aderit. Ex quibus tunc nonnisi languidæ admodùm expectandæ suppurationes, quin plurimùm imminebunt partium siderationes. Hoc pacto se rem habere observamus in praxi, cùm, post passas diù malignas febres putridasve, aut ex recidivis protractas, nec perfectè judicatas, præprimis cum imperitè, aut etiam fatali quâdam necessitate ad

præcavendum infelicem exitum, repetitis nimiùm validis catharticis ac vomitoriis tractatæ fuere, effœtus prorsùs ſanguis factus eſt. Hinc ſenes potiſſimùm eventus hoſce funeſtos ab ejuſmodi morbis experiuntur, cum jàm victus ſit ſanguis eorum; quin & interdùm abſque prægreſſo morbo ob ſenium commiſſoſque per vitam diù protractam in uſu rerum non naturalium errores, ſanguine, qualem deſcripſimus, ità vitiato donantur, ut ſauciatis compreſſiſve tantillùm partibus aut ſuppurationes languidas aut gangrænas protinùs patiantur, quin etiam aliquandò hæ abſque prægreſſo cauſſæ ullius externæ incurſu, quaſi ſponté excitentur.

COROLLARIA.

I.

In ſolutis partibus aut non excitabitur aut languebit ſuppuratio, niſi per vaſa minima difficulter utcumque fiat fluidorum tranſitus, ac ea utcumque infarcta ſint.

II.

Sed & cùm infarcta notabiliter erunt ſanguifera, cæteraque intertexta vaſcula, vegetè tamen non procedet ſuppuratio,

nisi vasculorum, quæ integra mansere, vis activa vitalis ruptorum fluidis inertibus tumentium resistentiam multùm superarit; cum autem ruptorum turgidorum resistentia pulsioni sanorum superior existet, aut suppurationem languere, aut si resistentia hæc ulterior fiat, mortificatione partem tentari eveniet. Mortificationem diceres in solutis partibus suppurationem oppressam, utque vitæ partis certum est tekmerion suppuratio, ità hæc oppressa extinctionem ejus sæpè significat.

I I I.

Quare in jam memorato statu, suppuratorii operis impedimenta ad nimiam liquaminis in ductibus ruptis elaborandi resistentiam, ac insufficientem vasorum integrorum vim pulsivam ultimò revocari possunt; adeòque causæ remotæ, quibus tunc suppurationes impediuntur, languent, cohibentur, producendo duplici huic vitio aut alterutri semper collimant.

I V.

Sed & languidæ fluidorum tùm per integra cùm per vasa rupta effusiones, ac parcæ liquorum suppurandorum ema-

nationes languidas ſuppurationes aut nullas efficiunt.

V.

Cùm ſolutæ partes ac fluidis turgidæ, per ſuppuratorium opus priùs liberandæ ſint, quàm ad nexum ſuſcipiendum diſpoſitæ fiant, adeò ut ſuppuratio reipſâ naturæ conamen ſit, quo ſoluta pars ſarcina expeditur noxiâ, in enumeratis univerſis ſuprà ſuppurationis caſibus conſequitur partium ſolutarum unionem ægrè ac ſegniter perficiendam, quin & cicatricis efformationem, quamdiù perſiſtet in languore ſuppuratio aut erit ſuppreſſâ, nullatenùs excitandam fore. Sic quamdiù ſuffocata eſt ſuppurationis cauſa efficiens in oris vulnerum induratis, aut ſiccis, aut ad ſiderationem proclivibus, partes hiulcas aut laceras miſerè conſpiciendas tamdiù ſe præbent, ac labris callosis vel aridis, vel putrilagine molli, vel eſcharâ defœdatas.

PROPOSITIO II.

PROPOSITIO II.

Cur incipiat diversimodè, succedatque in partibus mollibus suppuratio, exponere.

IN suppuratorio quovis opere etiamsi essentialia quædam constanter observentur, nimirùm in ejus prodromo suppuraturæ substantiæ partis insolitus tumor cum calore, rubore, dolore; liquaminis purulenti deinceps effusio; hinc postremò novarum carnium succrescentia succedere soleat; symptomata tamen antecedentia hoc opus & concomitantia in variis casibus diversa, purulenta liquamina indole variâ prædita, carniumque progenerationes tàm inter se discrepantes, quin & interdùm suppressas, in praxi Medico-Chirurgicâ observare adeò familiare est, ut sanè hujusmodi variationum & anomaliarum in causas inquirere, quò in vulneribus deinceps; ulceribus ac tumoribus certiùs signa prognostica institui, tutò autem ac efficaciter auxilia partibus suppurantibus afferri queant, haud exigui sit emolumenti.

Neque tamen universas, quæ occurrunt in praxi, suppurationis varietates & anomalias recensere, multò minùs causas earum omnium indagare constituimus. Præcipuas autem, & ad quas cæteræ velut ad summa capita revocari haud difficili negotio possunt, expendere in tentamine hoc solùm animus est. Partium constitutio naturalis diversa, affectiones sanguineæ massæ præternaturales, solidorum ac fluidorum in parte ipsâ suppurante labes, modus quo continuum solutum est, partes suppurantes curandi ratio, hæc sunt præcipua, cur inchoetur diversimodè suppurationis opus, cur diversimodè succedat.

Jàm eam suppurationis formalitatem attigimus, cur ea interdùm difficulter aut etiam nullatenùs excitaretur, quin imò cohiberetur incepta, sisteretur aut lentè procederet; impotentem nimirùm, fatiscentem aut oppressam in opere hoc naturam præprimis lustravimus; nunc eam depravatè agentem (ut Pathologorum sermone utar) considerare animus est, postquàm ejus operam in partibus naturaliter variè constitutis variam ostenderimus. Neque enim molles corporis humani partes

tametsi optimè se habentes, pus ejusdem indolis eodemque modo promunt, utque constant vasis diversis, diversis & alluuntur liquoribus, ità & variam operam in suppuratione præstare eas necessum sit.

Itaque 1°. carneæ partes, ut sunt musculosæ, cutaneæ, ac similes, utpotè molliculæ ac sanguine lymphâque ubertim irroratæ, absque passis inflammationis tempore gravioribus symptomatis, liquamen mucilagineum facilè fundunt, spissum mediocriter, ac æquale; ruptorum autem vasculorum extrema in putrilaginem albicantem mollem citò abeunt. A talibus ergò partibus solutis & infarctis pus haud difficili negotio ac properè satis emanare solet, copia debitâ, spissum modicè, mitis indolis, albicans, æquale, læve, nihil olens, omninò dotibus puris *laudabilis* potiens. Tùm si nihil obstiterit egressui puris, parsque cùm fuerit detersa, carnes laudabiles sat vegetè succrescunt, optatò succedit cicatrix.

2°. Tendineæ verò partes, utpotè tensæ plurimùm nerveisque staminibus consitæ in suppurationis procinctu doloribus admodùm cruciantur, hinc vigiliæ, febris intensa ejusque effectus, hinc etiam

ſpaſmi partium, hinc & quoque ſtaminum partium attiguarum contractilium tenſiones inſolitæ, cohibitiones ſanguinis fervidi in vaſculorum extremis, adeòque ſtupendæ & extenſæ admodùm in partes vicinas inflammationes, quas cùm vaſcula ultràmodum diſtenta fuerint conſequitur ſæpè gangræna, (Conf. art. 4. prop. 1.) Cùm autem vaſcula in tendineâ compage naturaliter plurimùm, ulteriùſque adhuc tunc ex intenſo dolore tenſa ſint, cùm inſuper ſtrictè ſimul adunata, nec ſanguine, legitimi puris materiâ præcipuâ, ubertim irrorata, in partibus tendineis nonniſi ægrè procedet ſuppuratio (Conf. art. 2. & 8. prop. 1.) puſque manabit non ità ſpiſſum ac in partibus carneis, non ità albicans, nec, ut aïunt, æquè *concoctum*, tenuius autem, tenax tamen ac viſcoſum, fluidorum lymphaticorum ſoboles, quibus tendines præprimis ſcatent.

Ut autem ſuppurationibus moleſtis obnoxii ſunt tendines, ità & deterſiones patiuntur tædioſas: quòd ſanguineis vaſculis paucioribus donati, & liquoribus lymphaticis lentè transfluentibus irrorati, cauſam liquaminum expultricem debilem in ſe gerant (Vid. art. 2. prop. 1.) quòd

insuper stamina superficiei vulneratæ tendinis quamplurima ultràmodum priùs ex dolore tensa ac in textu intimo lacerata, post sedatas suppurationis turbas detersionis tempore arescentia è sanorum connubio pulsionibus eorum sensim sejungenda sint, & in modum lamellarum extrudenda (in quo quidem opere, quod tendinis *Exfoliationem* vocant, plurimùm sanè temporis insumitur) quò deinceps è subjectâ vivente tendinis substantia carnes sui moris ad cicatricem efformandam promi possint.

3°. Nervosæ ac tensæ plurimùm partes membraneæ, ut membranæ communes & propriæ musculorum, periostæa, cùm suppuraturæ sunt, doloribus vexantur atrocissimis, hinc similia mox dictis symptomata. Undè autem acuti adeò dolores, nervosarumque partium tensiones adeò validæ & irregulares, quæ vigilias, spasmos accersant, inflammationesque horrendas suscitent, cùm nervus punctus, aut laceratus, nec tamen integrè resectus est? Ea exin pendent, quòd cùm nervus è plurimis fibrarum fasciculis per fibrulas membraneas laterales connexis compaginetur, fasciculi nonnulli resecari non

possint, quin in semet retracti (prout universis corporis viventis staminibus insitum est) per ligamina hæc lateralia intactos trahant, tendant, divellant, hinc immania hæc nervosi sistematis symptomata, quæ resecto penitùs nervo sedantur, quòd tunc nullæ relinquantur ampliùs nerveæ fibræ, quæ distendi ac divelli possint. Eadem circà tendinis puncturam concipe. Difficiles igitur ex his omnibus summèque molestas fore in nervosis partibus suppurationes inferre datur. Hæ autem liquamen purulentum paucum, nunc tenue & albicans, interdùm fuscum, rubellum, dilutum, quasi saniosum, prout fert hujusmodi partium natura, pauco sed tenui cruore vel levi de causa diffundendo, succo autem lymphatico elaborato irriguarum, suppeditant; cùm autem liquamen è nervorum truncis potissimùm extillat, tenue est subviscidum & potiùs lymphaticæ quàm purulentæ indolis, idque *Ichor* nominari solet. At postquàm suppuratæ sunt nervosæ partes, succo lymphatico tenui continuò effuso diutiùs hument, à quo emollitis efflorescentibus carneis granulis, iis autem tenuibus, (ut fert partium ejusmodi textus) ferrumi-

natio ſolutæ partis procraſtinatur.

4°. Ligamentoſæ, aliæque partes circùm articulos, cùm maximâ parte ſenſibiles valdè ſint, ingruente ſuppuratione ob dolorem intenſum ſimilia quoque dictis inferunt ſymptomata; tùm liquamina purulenta promunt ocyùs, quod hæ partes cruore parùm perfuſæ ſint (Conſ. art. 2. prop. 1.) eaque non æquabilia, quod abundanter ipſis admixta ſint lymphatica fluida ſpiſſa è ligamentis, vaginis tendinum, & perichondriis aſſiduò depluentia, quæ *ſynoviam* ex Paracelſo barbari nuncupant. Porrò fluida lymphatica hæc obſtinatè nimis ab his partibus depluentia deterſioni plurimùm obſtant, ulceraque illarum ſanatu difficilia adeòque tædioſa efficiunt, quamobrem nonniſi ſerò expectandæ tunc cicatrices.

5°. Adipoſæ partes, ut omentum, membrana adipis ſubcutanea, ac ſimiles in ſuppuratione admodùm languent, pus ægrè profundunt, idque lentum, facile verò gangrænâ corrumpuntur. Cur? Quòd in hujuſmodi partibus vaſcula luxurient mollia, flaccida, celluloſa, liquore ſpiſſo, pingui, tardigrado turgida, quibus quidem unà cum ſanguineis diſruptis, quæ integra

in textu membranarum adipoſarum remanent ſanguinea, utpote pauca gravantur plurimùm ac vel oneri ſuccumbunt, unde partis mortificatio (ex corol. 2. prop. 1.) aut vitam in parte vix fovent, quamobrem liquaminis nonniſi ſpiſſi ac lenti ex materia ſpiſſâ ac pingui præprimis efformandi progenerationi anſam præbere poſſunt. Hiſce de cauſis præcipuam corporis habitûs gangrænarum ſedem in membrana adipis ſubcutaneâ quæras. Similes ob rationes teſtes moleſtas ac tædioſas patiuntur ſuppurationes, ſæpè autem corrumpuntur, præcipuè cùm fuerint attriti. Sic & cerebri ſubſtantia tenera liquore nerveo lentè fluente irrorata ſuppurationem vix ferre poteſt, citò autem ac facilè huic operi ſuccumbit, ac corrumpitur. Cùm autem è ſuppuratispartibus his molleculis carnes pullulant, hæ mollitiem ac flacciditatem nativam non depoſuerunt, quin & frequenter citiùs ac præcipitanter vegetant, quod vaſcula, quibus conſtant, ex propriâ conſtitutione jàm valdè mollia, ſed & in opere ſuppuratorio dilatata ac defatigata, fluidis tunc accedentibus diſtendi ſe ac ultrà metas produci facilè patiantur, hinc

tumentes carnes, molles, flaccidæ, hebetes, quas à similitudine substantiæ *Fungosas* nuncupant, è quibus quidem carnibus solida partis solutæ ferruminatio effici nequit.

6°. Glandulosæ partes lymphaticæ, quas *Conglobatas* ex Malpighio vocare solent, cùm vasculis lymphaticis protractis ac plurimùm inflexis potissimùm constent, paucioribus autem sanguineis intertextæ sint, lentè suppurant (Conf. art. 2. prop. 1.) Idcircò ob iners opus lymphamque, quâ scatent, facilè concrescibilem indurationes sæpè ac scirrhosas concretiones exhibent, undè pus ab eis frequenter spissum ac ægrè manat, quodque oris ulceris induratis facilè supprimitur. In eo autem obstructionis statu fieri non possunt vasculorum promotiones utpote inextensilium, fierique non possunt carnium efflorescentiæ, at suppurata pars oris duris (has *Callosas* vocant,) prædita, tamdiùque soluta manet. Si verò oratum ulceris induratio ad tantum gradum haud evecta sit, lentè saltem ac ægrè fiet vasculorum & carnium promotio, tardè fiet in partibus his glandulosis cicatrix. Sique tandem levior extiterit obstructio, ob re-

moratum tamen lymphæ in his partibus uberis reditum, vaſcula ejus ultràmodum in oris ulceris tumebunt, ultràmodum promovebuntur, carneſque exhibebunt nimis evectas, inæquales, efformandæ cicatrici parùm idoneas.

Haud parùm diſpari ratione res ſe habet ſuppuratoria in ſalivalibus glandulis, aliiſque affinibus, quæ ſuccis lymphaticis ſcatent, iis autem plùs minùſve inertibus, viſcidis ac languidè intrà vaſa motis, expreſſis.

Modo memorato rem utique ſe habere obſervamus cùm ſuppurant glandulæ inguinum, axillarum, mezenterii, pulmonum, aliæve lymphaticæ iiſque affines, ut & parotides, tonſillæ, ac ſimiles.

Jàm verò ſanguis univerſalis ille liquor, ut præcipua legitimi puris materies, ità & cauſæ ejus efficientis rector præcipuus; prout enim ad fluxum ex craſi propriâ diverſimodè diſpoſitus erit, ità ſanè pulſiones vaſorum, quibus continetur, varias in parte mox ſuppuraturâ aut ſuppurante efficiet, ac prout qualitatibus variis imbutus erit, ſic & profectò verſus in liquamen eas diverſas exhibebit in

puræ dyſcraſiæ conceptæ ſervator obſtinatus. Præcipuas inſignioreſque ejus, quibus fiat, ut diverſimodè ſuppuratorium opus incipiat, procedatque dyſcraſias perpendamus.

7°. In ſanguine benè conſtituto globuli rubri fibræque mucilaginoſæ quantitate debitâ, convenientique inter ſe cohæſionis gradu in liquore innatant ac volutantur ſeroſo viſcidiuſculo; quare fluidum ex tali miſcelâ emergit ſubviſcidum, æquale, ac benè temperatum, quod juſtam tenſionem tribuit vaſculis, ſuâque reſiſtentia ad tranſfluxum ipſorum viribus proportionatâ eorum activitatem ſfovet. Cùm igitur ſuppurationis caſus aderit, vaſcula integra vividè pulſabunt, humorque purulentus ex attritis, deletiſque in ruptis ductibus globulis rubris, hinc cum mucilaginoſis lymphatici vehiculi fibrillis ſeroque intimè mixtis compactiſque ſimul, ortus, manabit vegetè, ſpiſſus, æqualis, lævis, ſorde nullâ inquinatus, nihil olens, omninò pus fiet laudabile; perennante autem vegetâ cauſa ſuppurationis ſoluta pars purulentâ pulte penitùs purgabitur, detergetur; Vaſculaque ſana deinceps pullulabunt firma, tùm ſanguinea, tùm neu-

ro-lymphatica paſſu æquali, preſſo procedentia, ſemet invicem fulcientia, ex quibus granula carnea conficientur florida, valentia, optimaque ex his implicatis ſtabilietur cicatrix.

8°. In ſanguine diſſoluto globulorum acervi ex paucioribus conſtant, fibræque mucilaginoſæ in tenues nimis flocculos diviſæ ſunt, quamobrem particulæ hujuſmodi à cohæſione nimis liberæ facilè hàc & illàc ſerò vectæ diffluunt, nec viſciditate ſufficienti præditæ, & ad transfluxum nimis habiles ductuum vi ſyſtalticæ vix obſiſtunt, hinc tunicæ eorum à tali cruore parùm diductæ, parùm reſtituuntur, viſque proindè vaſorum pulſiva parva eſt nec vivida, parva ergò ac debilis ſuppurationis cauſa efficiens. Præterea iſtiuſmodi cruor per vaſcula rupta facilè diffluit, nec in extremis eorum ſat diù moratur, quò vitalis motûs defectu inſpiſſari, poſteaque in pultem purulentam æquabilem à ductibus ſanis pulſantibus ſubigi queat, quin per extrema vaſculorum ruptorum globuli nonnulli rubri aut lutei ob exiguitatem ſolutamque à partibus cæteris cohæſionem facilè dilabuntur, ac liquamini purulento interdùm commiſcen-

tur integri, ex ſanorum ductuum pulſionibus nihil attritionis paſſi, colore proinde non exuto, illudque tingentes. Quas ob rationes in aſſignatâ ſanguinis conſtitutione pus incoctum, hoc eſt non elaboratum è vulneribus profluet, tenue, inæquale, ſæpèque ſanioſum. Carnes autem enaſcentur poſtmodùm teneræ, rubeæ, laceratu faciles, cruorem facilè fundentes, è vaſculis ſanguineis potiſſimùm textæ facilè extenſis, cruore tenui turgidulis, ductuumque neuro-lymphaticorum fulcro valido deſtitutis, quod hi ad firmitudinem ſuſcipiendam lymphâ craſſâ ſatis careant; Hinc demùm cicatrices molles, facilè ſolubiles.

9°. Cruor craſſus & viſcoſus globulorum acervos ſinu ſuo gerit præcraſſos, tùm & fibras magnas arctè nimis inter ſe & globulis cohærentes, particulas utraſque ſerum inter ſeipſas potiùs irretientes, quàm in eo, ut decet, volutatas. Hinc fluidum vaſcula vi magnâ diſtendens, utpote transfluxui nimis obſiſtens, & particularum ſuarum diſſociationem vix patiens, Sanguis inſuper ità conſtitutus è vaſculis ruptis ægrè diffluit, plurimùm in eis moratur, craſſitiemque inſignem adipiſcitur;

At tandem ſanorum ductuum vi vegetâ exagitatur, exprimitur verſus in liquamen purulentum lentum, craſſumque, intereà elaboratum & concoctum. Ad deterſionem autem inſumpto tempore paulò longiori, carnes deinceps emergunt tardo paſſu, ſed firmæ, utpote vaſculorom ſanguineorum ac neuro-lymphaticorum robuſtorum & cruore lymphâque lentis ac viſcidis plenorum ſoboles; Hinc cicatrices firmæ, duræ, ſed aliquantùm principiò tumidæ.

10°. In Cachecticorum ſanguine parca eſt rubra pars, occurrunt interim hîc & illîc globulorum acervi quidam craſſi, luxuriat autem fibroſa, præcraſſa, parùm extenſa, & quaſi in ſemet coarctata; hæ autem duplicis ſpeciei partes ſero copioſo innatant, eoque velut immerſæ ſunt. In tali autem conſtitutione ſanguinis vaſorum languet motus vitalis, quòd facilè à cæteris difluant ſeroſæ partes, partiumque ſtamina emolliant, craſſæ autem hîc & illîc non præterfluant, & obſtructiones excitent, quibus enervatur ſanè vaſculorum motus. Sed & talis indolis cruor in ruptis ductibus æquabiliter non hæret, ab eo enim facilè diffluit

ſeroſa pars, craſſa autem ex globulorum acervis fibrarumque flocculis nimiis conſtans obſtinatè nimis in illis impacta manet, pulſione ductuum ſanorum languidâ parùm ſubigenda ac nonniſi identidem exprimenda. Quibus fit ut ſuppuratio langueat (Conf. art. 6. prop. 1) tùm pus non æquale ſuboriatur, nimirùm partim ſeroſum ac tenue, partim craſſum, adeòque quaſi grumulis refertum; deterſio ſimiliter ægrè peragatur; ſuccedant deinceps carnes molles, flaccidæ, inæquales, evanidæ, pallentes, ductuum minimorum ſanguine parùm vivido, parùm rutilo, ſeroſo autem, ac particulis craſſis aliquibus inæqualiter onuſto, lymphâque ſimilis indolis, refertorum, quorumdam obſtructorum, reliquorum liberorum ac præ mollitie faciliùs extenſilium ſoboles. Undè cicatrices aut impoſſibiles, aut debiles parùmque perfectæ, quæque nonniſi longo temporis ſpatio abſolvi poſſunt.

11°. In ſanguine cacochymo, utut is ex pluribus pravarum molecularum combinationibus ità nominetur, moleculæ globulorum ut plurimùm fluitant malè digeſtæ, craſſæ hîc, alibi tenues, eæque mucilagine molli conglobatâ mitis indo-

lis ſimpliciter, ut decet, non conſtantes, ſed & particulis ſalinis duris præcraſſis plurimùm conſitæ, tùm inter eas innatant fibroſæ partes inæqualiter craſſæ, inæqualiter expanſæ, quibus nimiâ copia adhærent ſalinæ partes indole variâ præditæ, hiſque omnibus vehiculum eſt ſerum variè in variis caſibus ſalinum, ſolutum penitùs interdùm, interdùm viſcoſo-ſalinum. In hujuſmodi autem conſtitutionibus, aut languet motus ſanguinis periodicus, languetque motus vaſorum vitalis, aut etiam interdùm per vaſcula quædam incitato nimis paſſu procedit cruor, quo tempore per minima nonnulla difficulter meat, nimirùm cùm comes adeſt febricula, vaſculaque minima tunc plurimùm ſollicitata ſunt, tenſa, defatigata. Quas ob cauſas in corporibus cacochymis aut languebunt ſuppurationes (Conf. art. 11. & 12. prop. 1. & 10. prop. hujus) & liquamina purulenta manabunt incocta, inæqualis conſiſtentiæ; aut etiam ex oris ulceris profluent qualitatibus variis prædita nimirùm fœtentia, variis coloribus tincta ut flavo, viridi, iiſque affinibus, item diverſimodè acria, oras ulceris vellicantia, irritantia, moleſtantia, tùm &

nonnunquàm

nonnunquàm immani vi rodentia, depaſcentia; inſimul liquamina hæc conſiſtentia inæquali prædita erunt, adeò ut ſordes craſſas in hâc ulceris parte, in hâc fluidum tenue, acre, depaſcens ſubſtantiam partis exhibebunt; hîc ulceris oræ deprehendentur præduræ, calloſæ, ſcabræ, ubi nimirùm ductuum neuro-lymphaticorum notabilior erit ex moleculis craſſis infarctus; hîc carnes molliculæ erunt nimiſque extantes, ubi lympha ſeroſior ſalina neuro lymphatica valdè penetrarit. Conſpicientur ergò ex iſtiuſmodi apparatu vario ulcera ſordida, fœtentia, verminoſa, cancroſa, cacoethea, Telephia, Chironia, virulento potiùs quàm purulento humore manantia, horrenda viſu. Nec legitimarum carnium expectanda ex oris ulcerum hujuſmodi pullulatio, vix enim priùs in eis aut interdùm nunquàm peragi poteſt deterſionis opus (quod inferiùs, ubi de ſuppuratione cancri, fuſiùs declarabitur) Carnes autem, ut jam diximus, progenerabuntur in eâ parte præduræ, in hâc molliores, ſanioſæ ſimul commixtæ, ſordidæ, & quidem maximâ cum obſtinatione artiſque contumeliâ, ex quibus nulla cohæſio, nulla ci-

catrix effici poteſt, aut laxa duntaxàt; ac facilè ſolvenda.

12°. Scorbuticorum ſanguis partibus activis depauperatus eſt, tùm & mucilaginoſis tenuibus, quibus expanſis æquabilis nexus particulis reliquis tribuitur, globulorum autem acervi compacti ſunt, ac in ſerò muriatico nimis, partibuſque fibroſis craſſis referto innatant. Languet autem in ſcorbuto affectorum partibus fauciis vaſorum integrorum motio vitalis, quòd mucilaginoſitate æquabiliter expanſâ vaſa uniformiter tenſa non ſint, at potiùs moleculis craſſis obſtructa, ſeroſis verò relaxata particulis è cæterarum connubio elapſis. Suppurationes igitur in ſcorbuticis vegetè non peragentur (Conf. art. 10. hujus prop.) è ruptis autem ductibus liquamina manabunt viſcida, inæqualia, ſalſuginoſa, corruptelam morâ facilè concipientia. Sed & cùm vaſcula ſana globulis compactis atris, tùm & fibroſis ſalſuginoſis particulis ægrè meantibus continuò infarcta tandem nonnulla rumpantur, in ulceris ſuperficiem ſanies atra ſalſuginoſa velut amurca quædam fœtorem morâ & corruptelâ induens identidem effundetur, hinc pus ſcorbuticis

inæquale, saniosum, fœtidum, cadaverosum. Cæterùm in oris ulceris vascula sanguinea atro cruore, neuro-lymphatica verò viscosâ & salsuginosâ lympha turgida, carnes tumidas, quæ vel minimâ vi disrumpantur, efficient, idcircò ulcera tunc conspicientur livida, putrida, serpentia, fœtore ingrata. Ruptis autem hisce carnibus tumidis, novæ protinus pullulabunt molles, *fungosæ*, quòd orarum ulceris vascula moleculis crassis semper gravata sint, sero autem salsuginoso continuò emollita, hinc plurimùm distensilia ac turgentia, quæ iterùm facilè lacerentur, & saniem hoc est globulos rubro atros salsuginosâ lympha dilutos facilè fundant, hinc obstinatè humescent ulceris oræ & ad detersionem absolutam difficilè duci poterunt, quas ob rationes cicatrix aut nulla, aut tardè ac difficilè, aut mollecula progenerabitur.

13°. Cùm in constitutione sanguinis syphiliticâ luxurient concretiones quædam lymphaticæ tenuitate insigni, summa autem duritie præditæ, quæ minima quæque sanguifera vascula præterfluant, cætera verò minora adhùc, ut partium mollium secretoria ac præcipuè neuro-lym-

phatica, ossium autem propria adeò facilè pervadere nequeant, in iisque vasculis obstructiones unicâ tantùm summèque efficaci arte delebiles frequenter pariant, obstructiones omnium symptomatum venereorum causas; sequitur suppurationes in lue vencreâ infectis (cùm contigerint à quâlibet causa occasionali in parte floridè nutrita vasculorum sanguineorum cæterorumque ruptio ac infarctus) non minus vegetè quam in non infectis incepturas prægressurasque, quòd concretiones venereæ cruoris activitati, vividisque vasculorum sanguineorum pulsionibus ex seipsis nullatenùs obstent, nihil proindè causam suppurationis infringant ac immutent. At cùm aliquandiù processerint suppurationes ejusmodi, ac vascula quæque solutæ partis difficili fluidorum transitu defatigata fuerint, sanguinea equidem quadantenùs liberari possunt, at neuro-lymphatica concretionibus venereis succubuere, quod non mirandum cùm quævis corporis neuro-lymphatica utut sana nihilque lacessita iis obstrui plurimùm obnoxia sint. Itaque post tempus aliquod arescunt quadantenùs ulcera venerea, nec tamen curantur, utut

enim juxtà ea aliquo modo restituatur cruoris circuitus, cesseтque gravis inflammatio, cursus tamen succi lymphatici impeditus valdè remanet, hinc absoluta nulla ulceris detersio, hinc nulla vasculorum neuro-lymphaticorum, quæ carnium succrescentium in vulneribus præcipua materies sunt, extensilitas optata, hinc non progenerabuntur carnes, manebuntque duræ ulceris oræ aliquid liquaminis aut vix aliquid effundentes, inextensilés, callosæ, unionem nullam in solutâ parte procurantes. Si autem erupisse vascula suanguifera è neuro-lymphaticorum hærente succo concreto, deside, turgidorum, induratorum compressione liberata contigerit, ac in grana carnea effloruisse, hæc inæquali passu progredientur, nec firma erunt, quòd fulcro debito, stamine nimirùm neuro-lymphaticorum socio careant; hinc carnes quidem erumpentes, sed flaccidæ, humentes, sordidæ, in monticulos disgregatos hîc & illîc distinctæ unionem partis arctam excitare non valentes. Quamobrem in utrolibet casu ulcera venerea ex seipsis ad cicatricem duci vix eveniet, obstinatè autem partem defœdabunt.

Sed quamquàm lue venerea infectus causæ cujusvis procatarticæ vulnerantis incursui perindè ac non infectus obnoxius sit, indèque in parte quâlibet corporis vulneratus suppuratione molestari queat; sæpè tamen evenit suppurationes syphiliticas in partibus præprimis lymphaticis, aut iis analogis quasi spontè excitari; at res ab internâ causa tunc repetitur; concretiones enim venereæ, ut jàm dictum est, cruoris vascula liberè permeant, exigua autem lymphatica aut similia, utpotè tenuiora obstruunt, hinc eorum disruptioni postmodùm ansam præbent, sed & ab iis ingurgitatis premuntur exigua nonnulla cruoris vascula, ingurgitantur hæc pariter, rumpuntur tandem, sicque excitatur suppuratio, sæpè autem tardigrada (ex art. 2. prop. 1.) nec uber, contumax autem, ex quâ partis reparatio, ob vasculorum neuro-lymphaticorum concretionibus summè duris obstructorum & quasi induratorum inextensilitatem, adeòque cicatricis efformatio præpeditur.

Cùm autem ex labe venereâ suscitari suppurationem repentinam, citam, ac uberem, ut in gonorrhæis ac bubonibus quibusdam venereis observare est, interdùm

evenit, illud infectioni summæ ac repentinæ tribuendum, ex quâ concretionibus venereis partes nonnullæ speciatim adeò ubertim infestantur, ut pressio subita ac notabilis ex vasculis lymphaticis aut secretoriis seminalibus pluribus ità subitò obstructis, ductibus sanguiferis inferatur, iique proindè à retardato, & æstuante ut plurimùm in his partibus, cruore nimiùm distenti, unà cùm cæteris principiò obstructis, protinùs plures disrumpantur, undè uber puris materies, causaque cita suppurationis ac vegeta.

Colorem autem flavum, viridem, aut affinem quo inficitur pus syphiliticum, quod spectat, hunc ab admixtis ipsi concretionibus venereis pendere existimamus.

14°. Nimis sibi cohærent in diathesi sanguinis scrophulosâ particulæ quæquæ sanguinis; illaque cohæsio in particulis lymphæ mucilaginosis præprimis eminet, adeò ut fluidum hoc viscositate nimiâ nec facilè delebili præditum sit. Cùm ergò casu succedent in strumosis suppurationes, hæ quidem per tempus aliquod sat vegetè procedent, quòd vasa sanguifera principiò sat vividè pulsent liquoresque ultrà

modùm in vasculis impacti non sint; cùm autem tempus aliquod fuerit elapsum (imprimis si auxilia efficacia ad suppurationem juvandam adhibita non fuerint) rupta vascula lymphatica contenti humoris viscositati ut plurimùm succumbent, infarcientur, penitiùsque expurgari vix poterunt, hinc detersio difficilis, oræ callosæ, ulceris perennitas.

At ut absque causæ externæ incursu in lue gallicâ laborantibus, suppurationes persæpè vi clandestinâ suboriuntur, ità & in strumosis idem observabis; proptereà quòd lympha viscosa nimis particularum à vi vasorum pulsivâ exsolutionem sufficientem ad transitum haud patiens in minimis vasculis lymphaticis levi de causâ hæreat, infarciat ea disrumpat, tùm ex tumore ipsis illato comprimantur sanguifera, nonnullaque ex his deinceps ingurgitentur, rumpantur, sicque suppurationis casus excitetur, prodromus autem suppurationum ejusmodi diù protrahetur, quòd sensim promoveatur vasculorum infarctus ac pulsio; parique de causa suppuratio lento gradu procedet, tùm & quòd suppuranda liquamina in vasis ruptis crassa sint ac viscosa, vasculo-

rumque integrorum pulsiones magnoperè eludant, hinc parùm vegetæ strumosæ suppurationes, diù protractæ, turbæ nihil aut vix quicquàm inferentes, quasi abditæ; hinc demùm ex lentore illo orarum ulceris induratio, tumor, ulcus diutinum, cicatrix difficilis.

15°. Cùm urget febris, cruor liquoresque cæteri per vasa minima ægrè meant, ac ex illato obstaculo is potissimùm ad fluendum per vasa majora incitato cursu compellitur. Cùm ergò suppurationi comes erit febris, solutæ partis vasa minima multùm ingurgitabuntur, plurima rumpentur, majora autem (cùm infarctus nimius non erit) vividè micabunt, suppuratio procedet vegeta, abundans, excitata si languida priùs extiterit, sic incitantur interdùm febre superveniente suppurationes in bubonibus, fiuntque abundantiores; sic ad suppurationem ducuntur interdùm Scirrhosi tumores, qui priùs absque tumultu ullo quasi sopiti erant; sic plerùmque tumores quivis Phlegmonodei ex febre acutâ intensiùs suppurescunt. Cùm autem ultràmodùm infarctus evectus fuerit, vasa quæquæ nimiùm tensa erunt, onerique fluidorum succumbent,

hinc ſuppuratio ſuppreſſa (Conſ. art. 4. prop. 1.) tunc itaque areſcet ſuppuranda pars, plurimùm tenſa, tumida ac æſtuans, aut ſi demùm infarctus febrilis tantus ſit ut penitiùs textus partis laceretur, hæc gangrænâ tentabitur; caſus hujuſmodi obſervantur interdùm in vulneribus, cùm intenſa excitatur febris, ut & in variolis, dùm ex accenſâ prætermodùm febre papulæ cutiſque ità æſtuant, ut ſuppuratio quaſi ſuſpenſa maneat, quin etiam gangrænæ interdùm ſuboriantur.

Otioſum eſſet nimis in plures adhùc excurrere ſanguinis dyſcraſias. Quas expendimus, eæ præcipuæ ſunt, quibus ſuppuratorium opus varium efficitur. Cæteræ autem quâ ratione ei varietates inferant, ex antedictis eruere haud arduum erit.

Varietates jàm ſuppurationis & anomalias præcipuas ſub eâ formalitate diſpiciamus, quâ ex labe fluidorum & ſolidorum in parte ipſâ ſuppurante conceptâ producuntur, ſive fluidorum vitia hæc ab univerſali maſſa foveantur ac pendeant, ſive ex cauſa quâcumque in parte ipſâmet duntaxàt aut præprimis fuerint contracta.

16°. In Phlegmone ſanguis agnoſcitur ſpiſſus, rareſcens, tumidus, vaſcula minima ægrè percurrens, eaque plurimùm implens, hæc autem ſic dilatata magnoperè tenſa ſunt, vibrantque vehementer. Hinc cùm ruptis eorum nonnullis ſuppurationis caſus orietur, hæc ſat vegetè ſuccedet, pus ſpiſſum & concoctum erit, album, liberaliter manans; deindè verò ad deterſionem tempore ſufficienti inſumpto, carnes poſteà pullulabunt firmæ, è textis ſimul ſociatiſque vaſculis ſanguineis ac neuro lymphaticis validis æquali paſſu ſimul procedentibus utpotè conſtantes, ſolida fiet cicatrix.

17°. In Eryſipelate ſanguis adeò craſſus non eſt, at fervidior, vaſa minima adeò non inflans; hæc autem plurimùm ſtimulata ſunt, plurimùm tenſa, non tàm à fluidi ægrè tranſmeantis mole, quàm ex moleſtiâ ab ſtimulo ſanguinis acris & fervidi ipſis illatâ; cùm ergò rumpuntur vaſa, plurima ſimul dilacerantur, undè ſubitæ ac inauſpicatæ ſuppurationes, in quibus pus fluxile ubertim manans obſervatur, nonnunquàm ſubflavum ex admixtis nimirùm globulis aliquibus cruoris in vaſis ruptis præ tenuitate ſufficienter non

retentis, nec proindè à suppurationis efficiente causâ penitùs deletis, mutatisque. Fervore interim molesto comitatæ sunt hujusmodi suppurationes, tùm & purulento liquamini commiscetur sæpè serum aliquod acre, fervidum, fluidorum lymphaticorum à perspiratione acri erysipelatis nimis attenuatorum, hinc faciliori latice è ductibus propriis ruptis manantium soboles; Quo quidem sero pus fluxilius adhuc, quin & nonnunquàm rosivum efficitur. Quocircà & detersio molestè peragitur; à fervore siquidem partis liquamine manante tenui in halitus dissipato, exsiccantur interdùm nimis oræ suppurantes, hinc carnium ductilium ad cicatricem pullulatio ocyùs expectanda: Cùm autem non dissipatur humor, vel quòd ità tenuis non fuerit, vel quòd fervor tantus non extiterit, ne erumpant saniosæ carnes, ac inæquales, periculum sæpè aderit, quòd ipsæ potissimùm consistent vasculis sanguineis neuro-lymphaticorum, utpotè sero acri consumptorum, consortio, tutela, fulcimento destitutis, hinc facilè lacerandis, cruore manantibus, nec æquali firmoque passu vegetantibus, quamobrem cicatrix ægrè ac mo-

lestè peragetur. Nec modò partibus erysipelate affectis suppurationes molestæ sunt; Sed & cùm in tantâ, quæ in eis interdùm fit, vasculorum prætermodùm tensorum lanienâ ruptorum ad sana ratio nimiùm evehitur, aut cum vasa, quæ integra mansere, cruore fervido nimis distenta sunt, aut in spasmum proritata, nec ad ordinatas pulsiones valentia, tunc succumbunt vires suppuratoriæ (Vid. art. 3. 4. & 8. & Cor. 2. prop. 1.) nec nisi mortificatio partis opperienda est; eam autem defœdat priùs serum aliquod subflavum è lymphaticis laceris solutum manans, hinc denegato exitu libero aliquandò in vesiculis collectum, secus in rivulos effluens, cùmque serum id tenuius & acre in halitus difflatum est, succedunt deinceps crustæ fuscæ, nigricantes, atræ, vera Eschara, partem tunc sideratam habeas, prunâ quasi exustam, undè carbunculo affecta dicitur.

18°. In œdemate sanguis per vascula minima lentè progreditur, crassus, torpidus, seri plurimùm dimittens; exigui autem ductus sanguinei eo nimis humentes relaxati sunt, languidè pulsant, vascula lymphatica admodùm turgent, sero per

ſanguinea diſpoſitè fluere impotente, per hæc reditum ad cor pleniùs quærente, partis textum ſtagnantibus aquis immerſum eſt. Quare cùm ſuppurationis caſus (quod raró fit) eveniet, languente efficiente ejus cauſâ, pus vix producetur, manabit potiùs ſerum aliquod plùs minùs viſcoſum è ruptis lymphaticis velut è perenni fonte, hinc ſuppuratio tædioſa, (Vid. art. 6. prop. 1.) ulcus diù humidum, oras molles exhibens, quæ mortificatione levi de cauſa corripi poterunt, ſi nempe liquorum circuitus in eis tantillùm ulteriùs moretur; aut etiam ex ductibus emollitis, flaccidis, carnes effingentur flaccidæ, molles, evanidæ, fungoſæ, quarum ope nulla expectanda erit ſoluti continui unio, cicatrix nulla.

19°. In Scirrho parte tentatâ cruor tardigradus admodùm eſt, meat tamen; tùm vaſcula ejus tarditati huic aſſuevere, pulſionumque ſegnitie ipſi accommodata ſunt; lymphaticus pariter aut quivis parti peculiaris humor lentè fluit per vaſa quædam, per aliqua, cùm ſcirrhus perfectus eſt, nullatenùs, in eiſque exutâ penitùs humoris formâ in margam concrevit; ab his autem concretionibus du-

ris aliquantùm comprimuntur latera ductuum per quos fit aliquis adhùc sanguinis, lymphæ, & cujuslibet alius humoris parti proprii transitus, à quo pars umbrâ vitæ donatur; utque ductus hi jàm ex liquoris contenti torpore ad pulsionem segnes sunt, ità & ab illatâ compressione illâ ad limites arctiores adducti, alveos constituunt exiguiores, per quos soliti fluenti portio arcetur, in vicinos ductus magis liberos quoscumque temporis lapsu derivata, adeò ut & hàc de causa vitalis principii in scirrho perfecto vix scintilla maneat. Non mirum ergò si tam debili in parte scirrho affectâ suppurationis causa efficiente, cùm casus ejus excitabitur, hæc lentè adeò procedat, si liquamen vix sufficiatur aliquod, & quidem spissum, granulis autem duriusculis nonnunquàm refertum, lymphatici humoris inspissati præprimis soboles, cui è ruptis quibusdam emortuis penitùs ductibus suffecta fuêre margæ lymphaticæ velut frustula quædam insolubilia, angulosa. Non mirum si scihrrosi ulceris oræ aridæ, aut parùm humentes deprehendantur; si compressa vascula indurata semperque infarcta extendi nescia sint,

ſi carnes non pullulent, ſi tamdiù & obſtinatè adeò patula maneant hujuſmodi ulcera, nullo fluido diſtendente moleſtata, indolentia, mutationi nulli velut obnoxia, vitâ quaſi orba, nec tamen cadaveris at ſaxi potiùs formam adepta. Non mirum ſi cum ſcirrhoſis ulceribus partes habitûs corporis quaſque, quin & nobiliora viſcera infeſtantibus, vita tamdiù protrahatur.

20°, Hic eſt in Cancro fluidorum ac vaſculorum partis affectæ ſtatus, craſſus eſt ſanguis, plurimùm ſalſuginoſus, vaſa minima ægrè permeans, ingurgitans, mole diſtendens, ſtimulis moleſtans, nec partim aliorſùm derivatus partemque pacatam deſerens, ut in ſcirrho legitimo contingit; lymphaticus autem humor aliuſve indolis analogæ, ut eſt ſaliva, ut eſt lac, in vaſculis hæret ſpiſſus, ſalſuginoſus, vaſcula ſtimulans, tendens, motum periodi in vaſculis aliquibus at languidum adhùc ſervans, in pleriſque abſolutè ſtagnans, concretus, tophaceus, duritie vaſis vicinis moleſtus, utpotè in quem velut in ſaxum aſperum pulſionibus ſingulis impingunt vaſa viventia valdè tenſa, præcipuè autem ſanguinea dilatata,

latata, semi-inflammata, hinc dolores atroces procreantia. Cancrum diceres scirrhum inflammatum, acriter dolentem. Cùm ruptis igitur in parte ità constitutâ vasculis nonnullis cancrum suppurari eveniet, liquamina viscida suppeditabuntur ægrè manantia, è lympha crassâ, salsuginosâ, ab obstructis ductibus lentè eductâ, potissimùm confecta; cancri porrò ulcerati oræ tumidæ erunt, inæquales, duræ, vasculis potissimùm constantes neuro-lymphaticis magis minùsve infarctis, quin aliquibus penitùs induratis, hinc inæqualiter sanè extensilibus. Insimul liquamina purulenta è variis orarum hujusmodi scrobibus lentè expurgata morâ putrescent, fœtorem concipient. At insuper nonnulla rumpentur subindè sanguifera nimiùm diutiùsque compressa, ingurgitatave, tensa, quæque diù in partes duras & asperas impegere, ab iisque cruor ater manabit, quo inficientur liquamina purulenta; interdùm si apertus ductus sanguineus arteriola fuerit notabiliter dilatata hæmorragia gravis è cancro suscitabitur. Quin etiam vascula quævis sanguinea & neuro-lymphatica ingurgitationem diutiùs passa, & à pulsantis

bus vicinis robuſtioribus continuè ſuccuſſa, tandem lacerabuntur penitùs, contentæ concretiones etſi tophaceæ ab ambientibus effuſis liquaminibus emollientur, orarumque induratarum portio fiet deinceps mollis, velut cadaver putreſcens, hinc oræ hîc & illîc ſenſim excavabuntur, partes miſerè ſenſim abſumentur in tabum horrendum converſæ, ex quibus cancer ſævire ac ſerpere dicetur; nec deſinet, quòd vaſa libera compreſſiones & ingurgitationes lapſu temporis augendas è vicinis affectis continuè patiantur, liquores in eis ſpiſſitudinem novaſque è morâ labes concipiant, undé cancri ſemper nova moles progeneretur, aſſiduò corrumpatur. His omnibus de cauſis fit, ut fluere è cancro conſpiciantur purulenta liquamina ſpiſſa non ſolùm, & malè cocta, ſed & fœtentia, virentia, atra, ſanioſa, interdùm quaſi è corrupto cadavere tabum, quod tamen viventi adhærere dolorum ſævitia nimis perſpicuè demonſtrat. Hinc fit ut oræ ſemper ſerventur, & producantur duræ, inæquales, corrumpendæ, infarctûs ſemper ac putredinis caractere ſtipatæ, è quibus ſanè expectanda nunquàm carnium legitima-

rum germinatio, expectanda nunquàm erit cicatrix, quin potiùs assidua & continuata partis viventis absumptio aspectu horrenda.

21.° Ut cancer scirrhus in suppuratione sæviens habendus est, ità & alii dantur tumores scirrhosæ mitisque à principiis indolis, qui absque ullo fermè sensu ac fervore clàm nullâque illatâ turba in liquamina mollescunt viscida, lenta; quare tumores ejusmodi *Frigidorum* nomine insigniti fuere; tales habentur vulgò *Atheroma*, *Steatoma*, *Meliceris*, *Lupia*, *Natta*, *Talpa*, *Ganglion*, *Batrachos*, *Strumæ*. In ejusmodi autem tumoribus, vascula infarcta non tàm sanguinea sunt, quàm, & quidem longè maximâ parte, aut Lymphatica, præcipuè ubi in glandulas glomerata sunt, aut Adiposa, aut quæ Cloptonis Havers glandulas constituunt, aut etiam exigua salivalia. Cùm ergò in tumoribus his vascula quæquæ disrumpentur, rupta sanguinea pauca erunt, sana pauca ingurgitata, pauca vibrantia, nec nisi debile satis & clandestinum molimen efficientia; dùm aliundè cætera mox recensita vascula tùm rupta cùm integra copiâ superiora abundè existent, viscidis

liquoribus craſſiſque plena, quæ quidem ſanguineorum vires pulſivas plurimùm eludent. Quibus de cauſis eveniet, ut nonniſi lento gradu procedat è vaſculis ruptis liquaminum expreſſio, & quidem viſcoſorum magis aut minùs, ſubdulcium, pinguium, concretas moleculas admixtas gerentium; cùmque inſuper hæc immota & incluſa ſerventur ac lenteſcant, pultem modò, modò ſevũ, modò mel, modò gluten, ſirupum modò æmulabuntur, & à pure tùm formâ cùm natalitiis diſcrepabunt, formâ, ut ſenſibus obvium eſt, natalitiis, quòd vix è cruore tanquàm materiâ, originem duxerint, quòd in eis producendis cruoris vaſculorum pulſiones vix concitatæ fuerint.

Poſtquam autem liquaminibus hujuſmodi pars fuerit expurgata, ne tamen carnium legitimarum ſuccreſcentiam expectes, nî priùs expulſum è ſana parte fuerit involucrum aliquod plùs aut minùs conſiſtens, quo priùs velut in marſupio continebatur liquamen, *Cyſtis* appellatũ, membranã durã interdúm æmulans; quodque ut in pulte frigeſcente fit, progeneratis non conſtat pelliculis è craſſiori liquaminis portione effictis, nec ductibus ullis aut ſta-

minibus de novo productis, sed vasculis jàm in parte existentibus at liquoribus crassis infarctis, inertibus, ac velut induratis, ductibus ambientibus sanis continuis, hinc partem à sanâ continuâ organizatione discrepantem constituèntibus, ex quâ profectò vasculorum ad carnes efformandas eruptio suscitari nequit. Solutis autem vinculis cystis perfectè cùm exciderit, è sanis partibus laceris pus fluet legitimum, tùm detersione peractâ, pullulabunt carnes, succedet cicatrix.

22°. In gangræna vascula quamplurima mortem obiere; cùm ergò in parte ità affectâ suppuratio deinceps suscitabitur, hæc in principio debiliter procedet (Vid. art. 3. prop. 1. & Cor. 2.) quousquè vel per escharam deciduam vel aliam ablationem, suppuratura pars vivens emortuæ subjecta, ipsive commixta sarcina hâc cadaverosâ liberata fuerit. Quod antequàm peragatur, liquamini purulento ab eâ emisso commiscebuntur semper micæ quædam cadaverosæ ipsi adhærentes; quare pus primis diebus sorde inquinatum manabit, fœtidum, sensim autem in dies expurgato tabo purius ac purius evasurum, ulcusque tandem cons-

picietur consuetum, quo deterso carnes succrescent, fiet cicatrix.

Hactenùs de suppurationis varietatibus ex labe variâ solidorum & fluidorum in parte ipsâ suppurante conceptâ, prout casus in apostematibus præcipuis potissimùm occurrunt, dictum est. Ex iis ac ex antedictis reliquæ in tumoribus cæteris suppurationi obnoxiis notandæ varietates, haud difficili operâ erui poterunt.

Sed &, prout partium continuitas diversimodè soluta fuerit, suppuratio & variè procedet. Quare.

23°. Cùm cæsim sauciatæ sunt partes, cruorem liberaliter effundere solent; idcircò inaniuntur vasa, nec inflammatio suscitatur ulla, aut vixdùm aliqua, debilis aut etiam nulla adest causa suppurationis, parca aut nulla ipsius materies, hinc non excitatâ suppuratione aut levi saltem, citò carnes pullulant, ac modò vulneris labra adducta ad se serventur, citò sanè progeneratur cicatrix.

24°. Cùm vulnus punctim inflictum fuerit, inflammatio notabilis excitari solet, & ità turgent interdùm hujusmodi vulnerum oræ, ut specillo vix pateat aditus. Quare hoc à quòd instrumenti acumine

ſectis nonnullis duntaxàt vaſculis ac fibrillis, liquores parcè effluxerint, à retractis interim in ſemet fibrillis reſectis divellantur ità & quidem dolorificè connexa ſtamina integra circumquaquè ambientia, ut per ea nimiùm tenſa præpediatur liber humorum tranſitus, iique proptereà cohibiti vulneris oras in tumorem ità elevent, ut apertura ejus fermè deleatur. In ſauciatis itàque punctim partibus acutè dolentibus & magnoperè inflammatis ſuppuratio diù ſuſpenſa manebit (Vid. art. 4. prop. 1.) nîque efficax feratur auxilium, præprimis ſi vulnus penetrans ſit, ſanguiſque effuſus in parte ſauciâ lenteſcat, inflammatio ſumma, hinc ſuppuratio copioſa ; aut, ſi ſuccubuerint vaſcula, gangræna ſubſequetur.

25°. Cùm partes valdè attritæ ſunt, ut in contuſionibus magnis, vaſcula earum majori parte lacerata & confuſa ſunt, quocircà quæ integra relicta fuere vel oneri ſuccumbent, undè mortificatio (Conf. art. 3. & Cor. 2. prop. 1.) vel ſi ſatis vegeta notabile adhuc quippiam pulſionibus moliantur, ſuppuratio ſuſcitabitur abundans, quòd è ruptis tot vaſculis magna ſanè liquaminis moles excutiatur,

Hinc ulceris detersio tardè procedet, & interdùm carnes pullulabunt molles ac fungosæ, quòd vascula sana in suppuratione tali diù ac plurimùm laborarint, cùm & liquaminibus copiosè effusis emollita ab insito elatere remiserint, adeòque fluidorum contentorum impulsui nimis obsequentia ultrà limites requisitos citiùs, in granula nimirùm carnea rara propellantur, ex quibus tædiosè expectanda erit cicatrix.

26°. Cùm crematæ fuere partes molles, vascula exsiccata sunt, lacerata, & confusè cum liquorum extravasatorum cadavere commixta, nulla igitur in mole hâc inconcinnâ expectanda suppuratio (Vid. art. 3. prop. 1.) sub eâ autem & circumquaquè vascula sana attigua compressa & molestata, nec liquores, ut priùs in partis jàm deletos ductus effundere valentia, ingurgitantur, vehementiùs pulsant, in ruptis ductibus intermixtis suppurationem moliuntur, liquamina ab eis exprimunt, & quidem copiosa, quòd ruptorum numerus magnus sit, quibus sanè liquaminibus expulsis escharæ vincula succutiuntur, eaque à sanâ parte dirimitur, undè prodit in lucem sana pars suppu-

rans; cujus quidem puri aliquamdiù eschararæ putrescentis admixtæ sunt quædam reliquiæ, quibus sordescit ac fœtet, quoùsque iis penitùs expurgatis suppuratio laudabilis succedat, hinc detersio, ac cicatrix. Sed si vascula sanæ partis, quæ sub escharâ delitescit, robusta non extiterint, aut si ab escharâ nimiæ molis nimiùm fuerint oppressa, oneri succumbunt, ingurgitantur ultràmodum, undè gangræna, aut saltem suppuratio languida latens, detersio difficilis. Postremò in ambustis molestas suboriri suppurationes fervore insigni stipatas eveniet, cùm vasa integra robur aliquod cum siccitate tamen notabili ab ignito corpore impressâ servarint (Vid. art. 7. prop. 1.

27°. In adustis gelu, vascula aut rupta sunt, aut liquoribus concretis turgida, vitali motu penitùs orba; ad crepaturam propè adducta; quies mortifera has partes occupat, in his ergò nulla suscitabitur suppuratio, indèque aut exsiccatæ in crustam abibunt, vel, quod frequentius fit, liventes in putrilaginem liquabuntur gangrænosam, quâ plurimùm gravabuntur, plurimùm emollientur partes sanæ ambientes, in quibus profectò liquorum tran-

ſitus haud parùm retardabitur cum caractere lentoris eis inuſto; undè aut gangræna ulterior, aut ſaltem ſuppuratio languens, ac velut ſuffocata, deterſio deindè difficilis, carnium mollium ac evanidarum eruptio, tædioſa cicatricis progeneratio.

28°. Cùm corroſivis partes diviſæ fuere, magnam profectò vaſculorum lanienam paſſæ ſunt, quapropter ſi hæc penitior ſit, pars in eſcharam aut in putrilaginem, ſi humidior illa, abibit, tùm ſuccedent, quæ in art. proximè antecedenti notavimus. Si verò laniena tanta non extiterit, vaſculàque integra, inter laniata, iiſve proximè ſubjecta, à corroſivi incurſu incolumia ſatis ſervata fuerint, ſatiſque vividè pulſent, ſuppuratio uber è laniatis tot vaſculis liquamina purulenta copioſè profundentibus excitabitur. Pus profluet eſcharæ aut putrilaginis fruſtulis infectum, hinc ſuccedent ea, quæ in art. 22°. notavimus.

29°. Pars ſuppurans cùm undique aperta eſt, quâ proportione è ruptis canaliculis expuuntur liquamina, iis penitùs liberari poteſt, hinc deterſio facilis, nullumque in pullulatione carniumac cica-

tricis efformatione ab ſtagnatione puris impedimentum.

30°. Cùm cæca ſit ſuppuratio, abſceſſuſque producitur, è ruptis ductibus manantia liquamina foràs ejici non poſſunt, in ſubſtantiâ autem partis colliguntur; vi ſiquidem cauſæ ſuppurationis expreſſivâ hæc ſenſim in ſtaminum intercapedines inſinuantur, ſtamina iis ſenſim divelluntur: eòque faciliùs, quò ruptis partim in ſuppurante parte ipſâmet vaſculis, vincula, quibus ſimul connectebantur, plurimùm ſoluta ſunt; moles ergò puris ſpatium occupat ità comparatum, ac partem dilatat; hinc, ſuppuratio poſtquàm peracta eſt, ſedataque fuere prodromi ejus vehementia ſymptomata, lacus puris undiquè concluſus; pars è durâ, tenſâ, inflammatâ, vexatâ, facta mollis, pacata. Jàm verò puri aut citò paratur exitus, aut nequaquàm. Sic autem ipſi viæ liberæ aperiuntur, aut arte, aut naturæ viribus, arte quidem, ſectione nimirùm aut corroſione, naturæ viribus, cùm ſtamina diducta & ad baſim abſceſſûs denſiora vi contractili puris molem premunt, eamque in partem ambientem tenuiorem ac minori vi ſe contrahendi pollentem adi-

gunt, undè hæc in acumen elevatur, sensimque ad crepaturam ducitur. Cùm autem puri sæpèque etiam evasato commixtoque cruori, ex abscessûs cavitate liber exitus paratus est, detersio tunc peragitur, insitâ vi in se contrahuntur cavitatis parietes, carnes pullulant, fit cicatrix. Sed cùm facto abscessu nec arte puri via paratur, nec vi naturæ id foràs ejicitur, parti sanè molestiæ accedunt; præterquàm enim quòd diducta tensaque tali mole servantur ejus stamina, undè fluidorum transitus præpeditur, pus etiam stagnando qualitates adipiscitur nocivas, acre nam fit, partique laceræ applicatum, eam vellicat, stimulat, undè fluidorum in ductibus sanis cohibitiones. His ergò de causis inflammationis turbæ, quæ jàm pacatæ fuerant, iterum recrudescunt, instauratur suppuratio parti jàm aflictatæ plurimùm sanè gravis, quâ hæc detrimentum ulterius patitur, absumiturque. Prætereà cùm puri collecto liber non patet exitus, hoc in partium quarumcumque præcipuè in musculorum intercapedines viam sibi sæpè terit, latè diffunditur. Quâ vi? Eâdem, quâ rumpi abscessum in parte debiliori diximus; vi staminum expressivâ, ad partes

quæ minùs resistunt, puris molem adigente, ut cùm pasta manu clausâ premitur, hæc per digitorum intercapedines erumpit. Hoc mechanismo sinuum plerorumque productiones, abscessuum crepaturas, quin ad puris vim corrosivam, vim sæpè ab eo absentem, semper confugias, facillimè explicabis.

31°. Cùm *Vomica* abscessus sit cystide præditus, quæ circà puris collectionem in substantiâ partis ad abscessûs simplicis productionem jamjàm allata sunt, ea hùc transferantur. Undenam verò cystis hæc vomicarum? Hanc non pelliculam putes ex inspissato pure, at neuro-lymphaticorum extrema fluidis crassis infarcta, aliquantùm indurata, abscessûsque parietes à substantiâ partis ob consistentiam diversam distinctos, quibus puris moles undique involvatur, efficientia (Conf. art. 21.) Hinc fit ut vomicarum pus ità septum quaquaversùm haud diffundatur, nec nisi ruptâ cystide educi queat. Cùm autem eductum fuerit, nè tamen detersam partem habeas, & ad cicatricem habilem; textum enim neuro-lymphaticorum extremorum obstructorum & induratorum, quibus cystidem constare diximus, in car-

nes extendi nequit, quamobrem à vasis cæteris benè constitutis ac vividè pulsantibus tùm ab staminibus contractis velut crusta iners nec puris mole ampliùs fulcita, succutitur, expellitur, solvitur sic ejiciturque in frustula cystis; quò tandem è vasculis vegetis ità liberatis post levem ac laudabilem suppurationem carnes debitè pullulent, parsque ferruminetur.

32°. Cùm ulcus sinuosum est, quâ proportione pus è ruptis ductibus exprimitur, eâ tamen sæpenumerò penitùs foràs non ejicitur; vel quòd foramen sinûs emissarium arctius sit, vel quòd in declivi non positum. Sequuntur ergò, quæ impeditæ puris abscessuum expurgationi supervenire diximus, ulteriores nimirùm suppurationes ac sinuum progenerationes novæ; qui sanè effectus ægro & curanti molestiæ plurimùm afferunt; hi tamen paulò lentiùs ac in abscessibus succedere solent, quòd in sinubus semper sit aliquis puri exitus, undè parti suppuranti tanta non procreatur noxa, ac dùm pus nullam omninò reperit viam, quâ exeat. Præterea cùm sinûs cavitas pure satis purgari non potest, idque diutiùs retinetur, superfi-

cici ejus applicatum, nec vasculorum pulsantium viribus ampliùs succussum, stagnando inspissatur, orificia partis suppurantis emissaria sensim obturat; quare liquamina in ductibus ruptis paulatim retinentur, lentorem concipiunt, sicque sensim infarcitur, ac premitur neuro-lymphaticorum textus ad ulceris sinuosi superficiem pertingens, induratur, ab eo liquamina vix effluunt, quibus specûs suppurantis superficies humescat, fit *Fistula*, quâ subsistente nullam expectes carnium debitam pullulationem (parietes enim callosi extendi nescii sunt) multò minùs cicatricem.

Supersunt postremò errores artificum perpendendi, quibus suppurationes variè procedunt, ac in pejus ruunt, errores numerosiores profectò, quàm ut in specimine hoc ad amussim enucleari debeant, quique in suppurationum Therapeia, quò declinentur, potiùs recensendi. Horum nonnullorum tamen jàm anteà meminimus, quibus inhiberetur suppuratorium opus, ac interturbaretur. In articulo 1°. siquidem prop. 1. quî resolventia intempestivè adhibita suppurationi impedimento essent; in 4°. 7°. ac 8°. cur Topica ca-

lidiora, ut Veſicantia, Cauſtica, Acria, Spirituoſa, ſimiliaque ſuppurationem præpedirent, cohiberent; in art. 9. cur ſupprimeretur, aut fieret languida ſuppuratio ex apparatu chirurgico partes ſuppurantes nimiùm comprimente; in art 10°. quamobrem Repercuſſiva, venena quædam, aer frigidus ſuppurationes ſiſterent, indicatum eſt. In his nimirùm articulis pravos partes ſuppurantes curandi modos attulimus, qui ſuppurationibus obſtarent. Aliquos nunc duntaxàt, at ſummè notatu dignos, & in praxi quotidianâ nimis obſervabiles, ſuppuratorium opus, præcipuè quoad deterſionem carniumque pullulationem, plurimùm immutantes, eique adverſos, perpendere intereſt.

33°. Partem ſuppurantem ſervare mundam, cùm non curatur, liquamina purulenta ſuperficiei diutiùs adhærent immota, ſpiſſitudinem concipientia, eaque vel ſola, vel etiam ſæpenumerò admotorum medicaminum ſedimento ac ſquallori commixta; ab hâc ergò ſpurcitie vaſorum ruptorum orificia obturantur, undè liquaminum in eis cohibitiones, ex iiſque aut indurationes paulatim enatæ, quas ulceris orarum *Calloſitates* appellant, vel inflammationes

flammationes ſubitò productæ parti jàm pacatæ plurimùm graves, quibus aut areſcit ulcus; aut ſuppuratio ulterior ac immanis promovetur. (Conf. art. 15.)

34°. Ut autem ulcera curantis culpâ immunda & conſpurcata manent, quòd nimirùm aut non detergantur sàt frequenter, in iiſque curandis Chirurgus comperendinet, vel quòd unguenta aliave topica ſingulis vicibus, quibus tractatur ulcus, non mutentur, vel quòd Ceratis aut Emplaſtris ulceris ſuperficies gravetur, ab iiſque immediatè applicatis puris imbibitio & ablatio præpediatur; ità & mundities aliquibus adeò arridet, ut ei acriùs patrocinantes, ſuppuratorium opus in pejus mutent, infenſique potiùs parti ſuppuranti, quàm opitulatores habendi ſint. Lavant hi nimirùm continuò ulcera aquis mineralibus, vino, decoctis medicatis, linteis carptis ea continuò detergunt, alii ſuſpenſâ manu, gravi alii, quò, ut aiunt, ulceris ſuperficiem ad amuſſim mundent. Quid autem hâc moliuntur methodo? Iteratis lotionibus pus non modò abluunt, ſed & vaſcula ſuperficiei ulceris tenera emolliunt, ſic ſuppurationis cauſam hebetant, ac liquaminum è vaſis rup-

tis purgationem debitam impediunt, suspendunt; tùm relaxando nimiùm his loturis partis textum, carnes deinceps procurant molles, spongiosas, fastidiosas. Detersores verò ulcerum nimii superficiem eorum ità fricando, pus imbibunt quidem, ac auferunt, at vasculorum extremorum humorem etiam imbibunt, & auferunt, sine quo ductilitas nulla in eis ad pulsiones detersionis effectrices requisita, sine quo extensilitas nulla ad carnes excitandas. Qui autem linteis asperis manuve gravi & rusticâ ulcera fricant, pus eripiendo, carnes teneras pullulantes simul abradunt, vascula vegetantia miserè laniant, ulcus cruentant, materiem molliculam, quæ ulceris superficiem obducit, pus existimantes, hanc autem vascula esse tenera inscii; sic ergò ulcera miserè dilacerant partis suppurantis tortores seduli. Carnium embryones reparatrix natura iterùm promit, ipsi eos abradunt ac suffocant. Abruptis itaque frequenter adeò & obstinatè vasculis teneris, succussisque aliis ac è loco dimotis, fit tandem vasculorum confusio, lympha cruorque per vasa ægrè moventur, in iisque emollitis, flaccidis, semi-attritis abundè congeruntur;

ſcque efflorefcere citò deinceps conſpiciuntur carnes, ſed tumidæ, ſemi-laceræ, fluidis ſedimentoſis onuſtæ, ſordidæ; ex deterſionibus nimiis non mundari ulcus ac ſordeſcere magis diceres. Si autem compreſſis validiùs, vehementerque attritis exiguis neuro lymphaticis, ulteriùs lympha lenteſcat, inſpiſſatur, partis textum induteſcit, hinc oræ ulceris calloſæ. Quotidianus labor tegumentis partes munitas indurat, deterſio pariter frequens aut validior teneras ulceris carnes efficit calloſas.

35°. Partes ſuppurantes cùm frequenter curantur, aëri & frequenter exponuntur; à quo non ex ſalibus ullis, ſed à temperie diverſâ duntaxàt noxam patiuntur (Conf. art. 10. prop. 1.) ut ut enim igne propè curandam partem admoto intemperiei ejus cavere nitantur, hæc tamen incolumis ità ſervari nequit, ut naturalis tepor aliquantùm non infringatur, muteturve, ut ſaltem halitus tenues, qui fluxilitatem in parte ſuppurante tuentur, in auras non avolent; ex quâ quidem alteratione in parte ſuppurante ſuſceptâ retardatis in ductibus tùm integris cùm ruptis aliquomodò humorum fluentis, ſuppuratorium opus haud parvi faciendam patitur noxam, diutiùſque protrahitur.

ERRATA.

P*Ag.* 2. *lin.* 2. *leg.* obſervare. *Pag.* 19. *lin.* 8. *&* *pag.* 33. *lin.* 10. *leg.* molliculæ. *Pag.* 35. *lin.* 21. *leg.* mollicula. *Pag.* 42. *lin.* 3. *leg.* æſtuans. *Pag.* 46. *lin.* 5. *leg.* languente. *Pag.* 54. *lin.* 13. *leg.* variè procedet. Quare *Pag.* 58. *lin.* 14. *leg.* antecedenti.